

Quarto Junii vidi illam Illustrissimus
Præses optima sanitate gaudentem.

Toto morbi tempore urina semper be-
ne colorata cum enaioremate fundum
petente conspiciebatur.

EXPERIMENTUM XIII.

Juliana Gruberin, 27. annorum, venit
14. Junii ad nosocomium.

Dicebat, se jam a quatuor hebdoma-
dis contractione ventriculi, anxia respi-
ratione laborare, ac se a 15. diebus diffi-
cillime deglutire.

Dum prima vice illam vidi, foemina
tota emaciata erat, ac ita defatigabatur,
dum aliqua cochlearia jusculti cum pane
assumeret, ut vix binas uncias magna
labore potuerit deglutire.

In-

Inspectæ fauces nihil morbosī pro se ferebant, pulsus præter inæqualitatem nihil præternaturalis habebat, abdomen & hypocondria erant mollia, alvus omni die vel omni biduo prodibat naturalis, urina erat aquosa; sitis nulla aderat, inquieta diu noctuque jacebat ægra, pa- rum dormiens.

Antequam ad nosocomium deferretur varia a diversis hominibus medica- menta assumps̄erat sine levamine.

Hinc statim de extracto Hyosciami cogitavi, probavi tamen antea per tres dies, quid efficerent usitata remedia ner- vina, antihysterica, ac simul totum col- lum cataplasmate emolliente involvebam.

Verum inde nec minimum levata est ægra.

Die decimo octavo Junii datae sunt ipsi
duæ pilulæ de extracto Hyosciami ter
de die.

Die 19. Junii jam levamen percipie-
bat, & die vigesimo secundo degluti-
tio libera erat.

Subinde tamen recurrebat levis de-
glutiendi difficultas, ac ventriculus spas-
mo constringebatur.

A die vigesima tertia Junii purgaba-
tur quotidie ter quaterve usque ad se-
cundam Julii, & optima tunc fruebatur
sanitate.

Per plures adhuc dies in nosocomio
retenta nil conquerebatur, hinc perfecte
sana dimittebatur.

Sunt adhuc multi variis nervorum
morbis laborantes, quibus has pilulas
cum effectu exhibeo; verum cum abso-

lu-

luta nondum fit curatio alia occasione
eorum historias referam.

C A P U T III.

DE ACONITO.

AConitum alias dicitur *napellus* flore
cæruleo, cucullato &c. est aconi-
tum *linæi* foliorum laciniis linearibus,
superne latioribus, linea exaratis, spec.
plant. pag. 532.

Planta hæc inter summa venena huc
usque recensebatur.

Attamen celeb. *linæus* vidit in parte
sueciæ septentrionali folia hujus her-
bæ, pauca pinguedine cocta, impune co-
medi a muliere, marito, duobus liberis
& alia vetula. *Flora lapon.* pag. 179.

In hortis plerumque culta fuit, ut or-
namento esset. E 3 De